

huc subest parentum respectus). Ut ut in tribus hisce ultimis gradibus nuptiæ habeantur illicitæ ob prohibitionem canonicam, attamen possunt ex dispensatione summi Pontificis fieri licitæ; ast in primo gradu collateralis dispensare non licet, nec potest S. Pontifex, c. 13. X. de restitut. Spo-liator. Hic porro notandum: quod computatio graduum civilis in linea collateralis videatur Juri naturæ, & rationi naturali convenientior, quàm computatio canonica; quia cognatio in linea collateralis merito à secundo gradu numeranda est, e. g. frater & soror juxta civilem computationem sunt in secundo gradu l. 3. C. de legit. hered. quia frater ex fratre non generatur, nec soror ex fratre, verum uterquè ex communi parente. Ergò ubi duæ sunt generationes, duo etiam debent esse gradus; ubi primum à fratre ad communem parentem est ascendendum, quæ est una generatio; & rursus ab eodem ad alterum fratrem est descendendum, quæ est altera generatio. Hanc civilem graduum computationem ipsum quoquè Jus Canonicum approbat in canone ultimo *caus. 35. q. 5.* ast in aliis locis generaliter statuit fratres & sorores esse in primo gradu, & patruales ac consobrinos (h. e. fratrum sororumquè liberos) in secundo gradu. *caus. 35. q. 5. can. 2.* qui alioquin Jure civili sunt in quarto gradu. Porro quando quæritur, quoto gradu ego à Patruo meo vel amitâ, materterâ, & avunculo distem? R. tertio gradu secundum Jus civile; ast Jure Canonico duntaxat secundo gradu; ratio est, quia inter me, & patruum, vel amitam fiunt tres generationes: ergò tres erunt gradus. Res exemplo erit clarior: avus meus generavit patrem meum, & patruum, (undè duæ generationes, & per consequens duo sunt gradus) & pater generavit me, undè tertia generatio, & tres gradus existunt. Sic ego à patruo vel amitæ meæ filia disto quarto gradu, vel quartâ generatione, & à nepote ejus disto quinto gradu, quia tot sunt generationes.

Hanseaticum foedus ob necessariam Urbium Germanicarum defensionem & mutuam commerciorum usum cum exteris & vicinis est initum, & coepit anno 1200. Hansen: Städte denominationem accipiunt à voce Gothicâ Hansen / h. e. Proceres, Optimates, Heroes. Undè ironicè dicitur: Das wollen große Hansen seyn. Ideò Hansen: Städte dicuntur die vornehme reiche Kauff: Städte *Recess. Imperii. de anno 1566. §. Die Hansen Städte.* Urbes